

1183 fratribus in Christo dilectis Henricus miser et infirmus,
 si quid valet miseri et infirmi oratio. Quoniam divi-
 nae maiestatis pietas secundum suae propitiationis
 clementiam carnem nostram suae visitationis flagello
 castigans castigavit, nec tamen adhuc morti tradidit,
 vestrae sanctitati in vobis fore ceteris mortalibus
 animae nostrae plurimum spei habentes significare
 non distulimus. Et quia ex apostolica eloquio
 quem diligit pater, corripit, flagellat autem omnem Prov. 3, 12
 hominem quem recipit, humilitati nostrae non mo- Hebr. 12, 6
 dicum solatii subintrat, sive pristinae incolūmitati
 restituiamur, sive secundum caelestis voluntatis, cui cf. Esth. 13, 9
 nemo resistere potest, placitum separemur a corpore,
 ut in sanctitatis vestrae orationibus memoriam
 nostri licet peccatoris habere non abnuat, suppli-
 citer et obnixè deposcimus.

Hic est Henricus qui et Zdisco, septimus ecclesiae Olo-
 mūcensis episcopus, flos episcoporum illius temporis,
 vir acceptissimus Deo et notissimus in utraque curia,
 videlicet papae et imperatoris, columna et lucerna
 Boemiae in diebus atque Moraviae in diebus suis,
 cui merito religionis et honestatis suae Moravia
 similem non habuit episcopum, cuius auxilio et
 consilio, sicut supra dictum est, fundata est